



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

12. Quoniam merces vestra copiosa est on cœlis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

12. *Quoniam merces vestra copiosa est in caelis.*

**C**ATHOLICAE Ecclesiae doctrinam de meritis operum ex hoc loco euidenter stabilitam, suggillat Calvinus his verbis. *Merita bonorum operum.*  
*Quod Papistæ in nomine mercedis ludunt, nullo negotio hic fucus diluitur. Neque enim, ut somniant ipsi, mutua est relatio inter mercedem & meritum, sed gratuita est promissio mercedis. Deinde si reputamus quam mutilum sit ac vitiosum quicquid bonorum operum etiam ab optimis procedit, nullum unquam opus inueniet Deus mercede dignum. Hæc ille. Sed huic duplici cauillo facillè responderetur. Est quidem promissio Dei gratuita; promissione autem semel facta, retributio non est gratuita, sed debita: non quia nobis Deus aliquid debet, sed quia eius quod gratuitè promisit, debitor factus est, & seipsum negare non potest. Iustorum opera in pura charitate facta, maximè tolerantia persecutionis pro fide, de qua Christus hic loquitur, non sunt vitiosa, sed mercede digna, quatenus à Spiritu gratiæ proficiscuntur, & sua dona coronat Deus. Vide plura in opere nostro de iustific. lib. 11. cap. 3. & seqq.*

14. *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi super montem posita.*

**E**X his verbis in hunc modum colligunt Catholici. Si Ecclesia est lux mundi ut homines ab ignorantiae tenebris ad fidei lumē traducat, ergo visibile corpus est, nec deleri potest; sicut sol lux mundi, ut homines suo lumine fruantur, extinguere non potest. Sed est hæretica expositio quæ hanc demonstrationem refel-  
 lere